POſt perfectam venditionem fœtus [1] quidem pecorum emptori, venditori vero ſumptus [2], ſi quos bona fide fecerit, reſtitui debere notiſſimum eſt.

De emptore expulſo a tertio.

17. Iidem AA. Hermiano & Lupo.

EXpulſos [3] vos de fundo per violentiam a Nerone, quem habere jus in eo negatis, profitentes, nullam [4] vobis adverſus eum ex cujus venditione fundum poſſidetis, actionem competere probatis. Igitur ad inſtar interdicti [5] ſeu actionis [6] permiſſæ experiendum eſſe perſpicitis.

TIT. L.
SI [7] QUIS ALTERI, VEL SIBI SUB ALTERIUS NOMINE [8], VEL ALIENA [9] PECUNIA EMERIT.

De re pecunia mariti, nomine uxoris empta.

1. Imp. ANTON. A. Secundino.

SI pecunia patris fundus mancipiaque comparata ſunt: tamen cum emptiones *matris* [10] *tuæ nomine* [11] *factas eſſe* proponas, ignorare non debes traditione matrem tuam dominam fuiſſe conſtitutam. Plane, ſi pecuniæ petitionem competere tibi propter numerationem pretii exiſtimas, civiliter [12] contende.

Si pater nomine filiorum emerit.

2. Imp. ALEXAND. A. Septimæ & aliis.

SI emancipatis [13] vobis fundos, quos *nomine veſtro*, cum in poteſtate egeretis, pater emerat, tradidit, vel in [14] poſſeſſione eorum voluntate patris fuiſtis, dominium acquiſiſtis.

Si mater pro filiis pecuniam numeraverit.

3. Idem A. Patrimo.

MAncipia, quorum meminiſti, ſi (ut proponis) *nomine tuo*, itemque *fratris tui*, cui ſucceſſiſti, empta, vobis tradita ſunt: licet inſtrumento emptionis matrem tuam pecunias numeraſſe [15] contineatur, perſequi ea more judiciorum non prohiberis.

De ſimulatione.

4. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. & VALER. C. Cyrillo.

QUamvis inſtrumento emptionis *ſocrus nomen inſcripſeris* [16]: tamen, ſi [17] poſſeſſionem tenens dominus effectus es, ob eam rem fruſtra calumniam mulieris, quamvis ipſa [18] contractus tabulas habeat, reformidas.

De viro & uxore.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Vero.

CUm propria pecunia tua te comparante poſſeſſionem, quondam uxoris [19] tuæ nomen tantummodo accommodaſſe [dicas], eandemque occaſione cuſtodiæ ſuæ commiſſorum inſtrumentorum contra bonam fidem proprietatem ejuſdem fundi uſurpaſſe dicas: Rector provinciæ pro ſua exercitatione cognitum habens, donationem a non [20] domina uxore tua in filiam ſuam collatam, nullum præjudicium dominio tuo attuliſſe, docenti tibi veritatem [21] precibus tuis adſiſtere, reſtituere eandem poſſeſſionem habita etiam fructuum [22] taxatione [23], curabit.

6. Iidem AA. Dionyſio.

MUltum intereſt, utrumne uxore tua comparante pecuniam numeraſti [24], eique poſſeſſio tradita eſt: an contractu emptionis a te nomine tuo habito, tantum uxoris nomen poſt inſtrumentis inſcribi feceris. Nam ſi quidem uxor tua *nomine ſuo emit*, *eique res tradita ſunt*, nec in te quicquam de his proceſſit, non niſi de pretio adverſus eam, in quantum tu pauperior [25], & illa locupletior facta eſt, habes actionem. † Quod ſi [26] tu quidem emiſti, & tibi tradita eſt poſſeſſio, tantum autem nomen uxoris quondam tuæ inſtrumento inſcriptum eſt, res [27] geſta potior quam ſcriptura habetur. Si vero ab initio [28] negotium uxoris gerens comparaſti nomine ipſius, empti actionem nec illi, nec tibi quæſiſti, dum tibi non vis, nec illi potes. † Quare in dominii quæſtione ille potior [29] habetur, cui poſſeſſio a domino tradita eſt.

Si emptor pretio ſuſcepto fidem ruperit.

7. Iidem AA. Gerontio.

CUm per eos qui negotia tua gerebant, olei materiam te comparaſſe, contractuſque fidem pretio ſuſcepto rupiſſe venditorem proponas: ſi quidem ex empto, his qui juri tuo ſubjecti fuerant, contrahentibus: tibi quæſita eſt actio, vel per te, [vel per eum] cui mandaveris: ſin [30] vero ſui juris conſtituti, ſecundum mandatum tuum hunc contractum habuerunt, ac tibi empti quæſiverunt actionem per eos vel quibus [31] illi dederint mandatum, adi competentem judicem: qui ſecundum bonam fidem [32] quæ in hujuſmodi contractibus obſervari ſolet, ſatisfieri providebit.

De eo, qui pecunia aliena vel communi emit.

8. Iidem AA. Valentinæ.

QUi aliena pecunia comparat, non ei cujus nummi fuerunt, ſed [33] ſibi tam actionem empti, quam dominium, ſi ei fuerit tradita poſſeſſio, quærit. Cum itaque de rebus communibus [34] fratrem pariter tecum quæſitis comparaſſe contendas: ſi de tua pecunia hunc conveniendo, facies conſultius. Nam in rem de rebus ab eo comparatis tibi contra eum petitio non competit.

De dominio in non numerantem transferendo, & de abſentibus.

9. Iidem AA. Rufinæ.

NIhil prohibet, altero pecuniam numerante, in alium vel utriuſque contrahentis conſenſu, vel certe venditore tantummodo volente dominium transferri, eo etiam manifeſte conſtituto, ut inter abſentes [35] per medium perſonam, veluti per nuntium [36] vel per epiſtolam, talis contractus perfici poſſit.

TIT. LI.
DE REBUS ALIENIS [37] NON ALIENANDIS [38], ET DE PROHIBITA RERUM ALIENATIONE, VEL HYPOTHECA.

De re aliena vendita.

1. Imp. ALEXAND. A. Cantiano.

SI [39] Præſidi provinciæ probatum fuerit, Julianum nullo jure mancipia ſervos tuos ſcientibus [40] vendidiſſe: reſtituere tibi emptores ſervos jubebit. Quod [41] ſi ignoraverint, & eorum facti ſunt, pretium [42] eorum Julianum tibi ſolvere jubebit.

Si maritus rem uxoris diſtraxerit, & inſtrumentum ſignaverit.

2. Imp. GORD. A. Græcæ.

DIſtrahente [43] marito rem tui juris, ſi conſenſum ei non accommodaſti: licet [44] ſigillo [45] tuo venditionis inſtrumentum fraude [46] conquiſita ſignaveris, hujuſmodi tamen commentum emptori uſucapione [47] non ſubſecuta, vel longi [48] temporis præſcriptione minime munito, nullam præſtitiſſe ſecuritatem poteſt.

De herede.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Valeriano.

VEnditrici ſuccedenti [49] hereditario jure perfectam recte venditionem reſcindere, ac dominium revocare non licet. † Sed & ſi hæc

1 Paul. 2. *ſent.* 17. §. 9. de fructibus alias dixi. adde *l.* 13. §. 10. §. 18. *ff. h. t. l.* 31. §. 6. *ff. de ædil. edict.* 2 *l.* 13. §. 22. *l.* 38. §. 1. *ff. h. t. l.* 40. §. 1. *ff. de cond. & demonſt.* 3 Et re vobis violenter ablata. *Synopſ. h. t. cap.* 65. & 3. Harmen. 9. *cap.* 64. 4 De vi emptori illata venditor non tenetur: hoc eſt, emptor cui per vim res ablata eſt, nullam eo nomine adverſus venditorem actionem habet. *Synopſ. &* Harm. *d. l.* ſicuti, nec de injuria ei illata. *l.* 51. *ff. de evictionib.* nec de caſu, aut vi regia, *du faict de Prince. l.* 11. *ff. de evictionib.* ſed nec de eo quod ei ablatum alio quam per ſententiam modo. *l.* 57. *ff. d. tit.* 5 Poſſeſſionem repetimus per interdictum unde vi. 6 Actionis promiſſæ. Cujac. 17. *obſerv.* 6. actionis, inquam. *l.* 1. §. 4. *in fin. ff uti poſſid.* forte in factum. *l.* 4. §. 2. *ff. de damn. infect. l.* 3. §. 2. *ff. ne vis fiat.* vel incerti. Utriuſque enim & interdicti & actionis, idem effectus, licet formula diverſa. v. Cujac. 5. *obſ.* 17.

7 10. *Synopſ.* 15. 8 Puta uxoris. *l.* 1. *l.* 5. filiorum in poteſtate. *l.* 2. defuncti. *l.* 3. ſororis. *l.* 4. mariti. *l.* 6. J. *h. t.* 9 Puta communi. *l.* 8. J. *l.* 4. S. *commun. utriusque.* mandatoris. *l.* 5. J. 10 Et ita uxoris ementis. *l.* 5. J. 11 Res ejus eſſe videtur, non cujus pecunia, ſed cujus nomine empta eſt. Paul. 2. *ſentent.* 17. §. 15. cujus nomen in inſtrumento emptionis continetur. *l.* 21. S. *de probat.* vide *l.* 8. J. 12 Accurſius videtur legiſſe *ſimiliter.* Similiter (inquit) negotiorum geſtorum actione, ſi geſta negotia: mandati, ſi ex mandato &c. 13 Parens fruſtra aliquid comparat filio in poteſtate poſito, ut ei adquirat dominium: nam quod filio in poteſtate poſito adquiritur, patri adquiritur. Sed tamen inutilis illa emptio convaleſcit, ſi rem emptam filio jam emancipato tradidit. adde *l.* 16. *ſupr. de probat.* 14 Vide *l.* 2. J. *de adquir. & retin. poſſ.* 15 Non ei, qui numeraverit pretium, ſed ei, cujus nomine res empta eſt, rei dominium adquiritur: id eſt, miniſtro numerationis pretii res empta non adquiritur a ſuo domino. 16 Simulate ſcil. 17 Recte hoc additum eſt. Nec enim præſumitur ſimulatio, niſi probetur. Proinde cum duæ res hic pro pupilli matre faciant: puta, quod fundus ejus nomine emptus reperitur, & emptionis titulo penes ſe habeat, filius non præſumitur rei dominus, niſi ſimulationem contractus probaverit. 18 Tenor inſtrumenti non juvat recitantem, vel tabellarium, ſed eum tantum quem tenor ſcripturæ deſignat. *l.* 21. *ſupr. de probat.* 19 Si vir nomen uxoris emptioni accommodaverit. 20 Is cujus nomen ſimulatæ emptionis inſtrumento adſcriptum eſt, rem emptam alteri donare non poteſt. 21 Ineſt tacite hæc conditio omnibus reſcriptis. *l.* 7. S. *de diverſ. reſcript.* 22 Fructus veniunt in actionem rei vindicationis. 23 De taxatione vide quæ notavi ad *l.* 6. *ff. ut legat.* 24 Res ejus continuo non eſt, qui pecuniam numeravit. Notandus eſt hic caſus. Uxor emit ſuo nomine, vir pecuniam numerat, res traditur uxori. Cujus eſt res? uxoris. Marito tamen tenetur de pretio, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 19. *tit.* 15. *cap.* 6. 25 Qui quid ſuo nomine ex alterius pecunia comparat, & quantum ex ea re locupletior factus eſt, & id quo alter pauperior factus eſt, reſtituere debet. 26 Maritus rem emit, res marito traditur, contractus emptionis, uxoris nomine concipitur. Cujus eſt res? mariti. Cur ita? quia conſtat ab initio maritum proprium negotium gerere voluiſſe. 27 Veritas rei ſcriptura potior. 28 Maritus rem ab initio comparat uxoris nomine: cui res quæritur? ne dicas marito: quia uxoris nomine adſumpto contraxit; ne dicas uxori, quia alteri nemo ſtipulari poteſt. Cuinam igitur? ei cui prius poſſeſſio a domino tradita fuerit: uxori vel marito ſc. 29 In dominii quæſtione ille potior habetur, cui poſſeſſio tradita eſt a vero domino. 30 Non tantum ſui juris conſtituti, *ut hic:* ſed in poteſtate conſtituti; ut liberi, procuratorio munere fungi poſſunt. S. *h. t. ibi, qui juri tuo ſubjecti.* adde *l.* 8. *in fin. princ. ff. de procuratorib.* Procurator mandatoris poteſtati ſubjectus, mandatori non ſibi actionem adquirit: ſui vero juris procurator ſibi actionem adquirit: per eum tamen ejuſve ſubſtitutum dominus agere, & rem petere poteſt. 31 Procurator alium ſuo loco poteſt ad agendum ſubſtituere. 32 Eſt enim emptio contractus bonæ fidei. 33 Aliena pecunia quod comparatur, fit comparantis, non ejus cujus fuit pecunia. facit *l.* 1. S. *h. t. l.* 9. J. Paul. 2. *ſentent.* 17. §. 15. *l.* 21. *ſupr. de probat.* vide Socinum *reg.* 141. Fallit id in pecunia militis. *l.* 8. S. *de rei vindicat.* minoris. *l.* 3. J. *arbit. tut.* uxoris ſeu dotali. vide *l.* 54. *ff. de jure dot.* 34 Res emptæ communi pecunia non ſunt communes. *l.* 4. *ſupr. comm. utriusque jud.* 35 *l.* 1. *in fin. ſupr. de contrah. empt. l.* 2. §. 2. *ff. de obligat. & actionib.* 36 Abſentes emimus, vel per epiſtolam, vel per nuntium: nudum enim miniſterium præſtat nuntius. *l.* 15. *ff. de conſtit. pecun.* fungiturque epiſtolæ vice, ut & e contra, epiſtola mutus eſt nuntius. Inde volunt, nuntium in perſonam domini verba concipere: procuratorem vero in perſonam ſuam domino nominato. Bald. ad *l.* 1. *ſupr. h. t.*

37 *l.* 3. *ſupr. de rei vindicat. l.* 5. J. *de adquir. & retin. poſſeſſ. l.* 28. *ff. de contrah. empt. l.* 11. *ff. de reg. jur.* 38 Vide libros duos ſingulares Pulvæi *de prohibita rei alienæ diſtractione.* Mod. 39 Alienam rem qui ſciens emit, nunquam fit ejus dominus: ſin ignorans emit, ipſe quidem uſucapit, verum is qui rem vendidit, domino tenetur. *Synopſ. Baſil.* 19. *tit.* 8. *c.* 66. & 3. Harmenop. 3. §. 29. & *l.* 2. §. *ſi ſervus.* 13. *l.* 7. §. *qui bona fide.* 4. *ff. pro emptore.* 40 Sciens rem alienam, eam non adquirit. 41 Scienter emens rem alienam, eam non uſucapit; quin reſtituere eam domino cogitur: ignoranter emens, uſucapit. Conſultum eſt tamen domino adverſus venditorem pretii nomine. 42 Re præſcripta, pretium a venditore condicitur: ut quod ſuccedat loco rei. Bald. *l.* 19. *ſupr. de negot. geſt l.* 3. *in fin.* S. *de rei vindic. l. ult. ff. de negot. geſt.* vide Wurmſ. 1. *pract.* 31. *cap.* 7. 43 Maritus rem uxoris (μὴ προικιμαῖον, ἀδιατίμητον, hoc eſt, non dotalem, inæſtimatam. Scholiaſtes *Synopſ.* 19. *tit.* 8. *c.* 68.) vendidit: uxor decepta a marito venditionis inſtrumentum ſignavit, quæritur utrum ſibi præjudicet mulier? non præjudicat: nam adhuc (ſoluto ſcil. matrimonio, vel marito ad inopiam redacto. *d. Sholiaſtes.*) emptori vel uſucapione (ſi res mobilis vendita ſit. *d. Scholiaſtes.*) vel longi temporis præſcriptione (ſi res ſit immobilis, *d. Scholiaſtes.*) opus eſt. *Synopſis ibid.* adde 3. Harmen. 3. *cap.* 65. Quid ſi conſenſum præſtitit mulier? rata eſt venditio: niſi fundus fuerit dotalis. Porro mulier a marito ita decipi potuit, ſi mulieri chartam unam pro alia ſubſignandam obtulit. *dict. Scholiaſtes.* 44 Conſentire videtur alias inſtrumento, qui ſigillum ſuum ei adponit. 45 Vide *l.* 126. §. 2. *ff. de verb. obligat.* Signans igitur per errorem actum vel inſtrumentum, id confirmare non intelligitur: alias præſumitur inſtrumentum confirmare, qui ſignum ei apponit. *l.* 26. §. 1. *ff. de pignor. & hypoth.* quin ſigno nonnunquam ipſam poſſeſſionem adprehendimus. *l. quod ſi.* 14. §. 1. *ff. de periculo.* 46 Vide exemplum *l. ult. ſupr. plus valere quod agitur.* 47 Vide *l.* 3. J. *de præſcr. longi tempor.* 48 Vide *l.* 19. J. *de evictionibus.* 49 Filius factum patris mutare non poteſt: vel ita, heres non poteſt revocare factum defuncti, ſi vult eſſe heres. *l.* 14. S. *de rei vindic. l.* 7. J. *de liberal. cauſ. l.* 73. *ff. de evictionib.* Eodem modo heres neceſſe habet ſtare ei inveſtituræ quam pater fecerit. *l.* 7. *Cod. Longobard. de ult. volunt.* 4. *Feud.* 70. Quid ſi pater legitimæ filii onus impoſuit? Filius non cogitur onus illud ſuſtinere. *Authent. Noviſſima*, & *l. omnimodo.* 30. *ſupr. de inoffic. teſtam. Novell.* 17. *cap.* 1. cum legitima filiis debeatur legis, non ſolius parentis voluntate, eamque ut ſibi debitam a patre accipere videtur, non titulo penitus lucrativo, ut ſuperior regula ſit vera in eo, qui hereditatem a defuncto percepit ſibi non debitam.

ex perſona ſua vindicet: vel exceptione te doli mali, ſi hanc viam elegeris tueri, vel evicta re ſi defenſione monſtrata uti nolueris, quanti tua intereſt, poteris experiri.

De matre, quæ rem filii in ſolutum dedit.

4. Iidem AA. Affabili.

MAncipia patris, qui fundum a Philippo conduxerat, ſucceſſione tibi quæſita, domino fundi pro debitis [1] in ſolutum mater tua dando, nihil [2] tibi auferre potuit. Ideoque ſi tu major vigintiquinque annis effectus ab ea negotium geſtum non feciſti ratum [3]: oblato debito, ſi [4] non hæc locator jure pignoris ſibi obligata vendidit, petere poteris.

Si pater fundum filii emancipati vendiderit.

5. Iidem AA. Ægro.

SI fundum tuum pater poſt emancipationem te non conſentiente venundedit, neque ei ſucceſſiſti [5], neque poſſidens longi [6] temporis præſcriptione munitus eſt: tibi agenti eum Rector provinciæ reddi efficiet.

De re aliena vendita.

6. Iidem AA. Rufo.

NEmo res ad te pertinentes, non obligatas [7] ſibi, nec ex officio [8] vendendi poteſtatem habens, diſtrahendo quicquam tibi nocere potuit.

De prohibita alienatione.

7. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

SAncimus, ſive [9] lex [10] alienationem inhibuerit, ſive teſtator [11] hoc fecerit, ſive pactio [12] contrahentium hoc admiſerit, non ſolum dominii [13] alienationem [14], vel mancipiorum manumiſſionem [15] eſſe prohibendam, ſed etiam uſusfructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris [16] nexum penitus prohiberi. Similique modo, & ſervitutes [17] minime imponi, nec emphyteuſeos [18] contractum, niſi in his tantummodo caſibus, in quibus conſtitutionum auctoritas, vel teſtatoris voluntas, vel pactionum tenor qui alienationem interdixit, aliquid tale fieri permiſerit.

TIT. LII.
DE COMMUNIUM [19] RERUM ALIENATIONE.

Ratione communionis poteſt fiſcus totam rem efficaciter vendere: ſecus in privato, etiamſi pretium in fiſci utilitatem convertat. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Apollodoro.

SI [20] nulla uſucapionis prærogativa, vel diuturni ſilentii præſcriptio emptorem poſſeſſionis, quam a coheredibus [21] patrui tui diſtractam ſuggeris, pro portione tua munit: in rem actio incolumis perſeverat. At ſi receptum jus [22] ſecuritatem emptori præſtiterit, arbitrium eſt tibi liberum conveniendi eos, qui pro portione tua ſatis illicitam venditionem celebraverunt.

Qui vendit rem communem, non præjudicat conſorti, niſi ſecuta uſucapione, vel præſcriptione. Bald.

2. Idem A. Terentiano.

MUltum intereſt, utrum coheredes tui poſſeſſionem communem diſtraxerunt; an vero fiſcus [23], cum partis dominus eſſet, ſoliditatem juxta proprium [24] privilegium vendidit. Etenim ſi a fiſco facta ſit venditio: fidem ejus infringi, minime rationis eſt. Si vero coheredes [25] ſoliditatem vendiderunt: licet [26] emptor ab his delegatus, partem pretii fiſco ſolverit, alteramque in cautionem deduxerit, tamen portioni tuæ ea venditio non poteſt obſiſtere.

Quando aliqua communia ſunt pluribus ut ſingulis, unusquisque per ſe habet partis ſuæ alienandæ liberam facultatem. Bald.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Euſebio.

FAlſo tibi perſuaſum eſt, communis prædii portionem pro indiviſo [27], antequam communi dividundo judicium dictetur, tantum ſocio, non etiam extraneo poſſe diſtrahi.

Alienatio pro parte non valet. Bald.

4. Iidem AA. Ulpiano militi.

POrtionem quidem tuam militantis [28] frater tuus alienare non potuit: ejus autem partem pretio ſoluto tibi reſtitui poſtulare nec militari gravitati convenit.

Ubi res pro parte evincitur, pro parte debetur evictio. Bald.

5. Iidem AA. & CC. Olympiano.

SI major annis vigintiquinque veluti [29] propria neſcienti [30] communia fratribus tuis prædia diſtraxiſti, licet nullum inſtrumentum interceſſerit, neque quicquam ſpecialiter convenerit [31]: alienæ portionis evictione ſecuta, quanti intereſt, emptori ſolves.

TIT. LIII.
REM ALIENAM GERENTIBUS NON INTERDICI RERUM SUARUM ALIENATIONE.

Ratione officii male geſti non interdicitur venditio: ſed cum ſua cauſa res transfertur. Bald.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Publicæ.

NOn eſt interdictum tutoribus vel curatoribus, etſi ex eo titulo judicati debitores ſunt conſtituti, cum ſua [32] cauſa res ſuas alienare [33]. Potuit ergo [34] curator tuus fundum ſuum cum ſuo onere obligare fiſco noſtro: nam [35] & privato potuiſſet.

TIT. LIV.
DE PACTIS [36] INTER EMPTOREM ET VENDITOREM COMPOSITIS.

Propter moram ex pacto emptor arrhas perdit, & rem traditam reſtituere tenetur. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Diotimæ.

SI ea lege [37] prædium vendidiſti, *Ut, niſi intra certum tempus pretium fuiſſet exolutum, emptrix arrhas* [38] *perderet, & dominium ad te pertineret:* fides contractus ſervanda eſt.

De re retrovendenda.

2. Imp. ALEXANDER A. Chariſio.

SI fundum parentes tui ea lege vendiderunt [39]; [*Ut*] [40] *ſive ipſi, ſive heredes* [41] *eorum emptori pretium quandocumque* [42], *vel intra certa tempora obtuliſſent, reſtitueretur;* teque parato ſatisfacere, conditioni dictæ, heres emptoris non paret; ut contractus fides ſervetur, actio præſcriptis [43] verbis, vel [44] ex vendito [45] tibi dabitur: habita ratione eorum, quæ poſt oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad adverſarium pervenerunt.

1 Id eſt, pro mercede debita fundi conducti. 2 *l.* 3. *ſupr. de rei vindic. l.* 11. *ff. de reg. jur.* 3 Ratihabitio inutiliter geſta conciliat. vide *l.* 60. *in fin. ff. de reg. jur.* 4 Creditor mancipia jure pignoris ſibi obligata vendere poteſt. *l.* 1. *l.* 2. J. *ſi adverſ. vend. pign. l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. J. *ſi antiquior creditor pignus vendiderit. &* J. *de diſtr. pignorum. l.* 4. *ff. de pignorat. action.* §. 1. *Inſt. quib. alienare licet.* 5 Defunctus rem ſucceſſuri poteſt alienare. alias filius poteſt patris facto contradicere, jure proprio, non hereditario. 6 *l.* 3. J. *de præſcript. longi tempor.* 7 Res nobis obligatas ex pacto poſſumus alienare. *l. ult.* §. 1. J. *de jure domin. d. l.* 4. 8 Officii jure rem alienam vendere quis poteſt: veluti tutor, curator. *l.* 56. §. 4. *ff. de furtis.* executor judicii. *l.* 50. *ff. de evict̃ion.* procurator ſpecialis. *l.* 63. *ff. de procuratorib.* cenſitor. *l.* 5. *in fin. ff. de cenſib.* at non maritus. *princ. Inſt. quibus alienare* quia lex Julia fundum dotalem alienari vetat. 9 Lege, teſtatoris juſſu, vel conventione partium, res inalienabilis effici poteſt. 10 Veluti favore eccleſiæ. *l.* 14. S. *de Sacroſ. Eccleſ. Novell.* 7. *c.* 1. *verſ. Alienationis.* dotis. *pr. Inſt. quibus alien. non licet.* minoris. *l.* 1. *ff. de rebus eorum.* 11 Teſtator rei alienationem prohibere poteſt. *l.* 7. J. *de adminiſtr. tut. l.* 4. J. *de fideicommiſſ. l.* 7. J. *de teſtam. manumiſſ. l.* 2. J. *qui non poſſunt ad libertatem pervenire. l.* 77. §. 27. *ff. de leg.* 2. *Nov.* 119. *c.* 11. *Nov.* 120. *c.* 9. Prohibitio hujuſmodi num effectum in infinitum tempus obtinet? Non obtinet: ſed ad quartum tantum gradum ejus, qui alienare prohibitus eſt. *Novell.* 159. *c.* 2. *verſ. Quod autem. in verbis: Poſt quatuor.* Prohibitio autem alienationis fit, aut ratione perſonæ, aut rei reſpectu. 12 Vide J. *ſi mancipium ita fuerit alienat. ut manumitt. vel contra.* adde *l.* 61. *ff. de pact.* 13 Alienare non tantum is intelligitur, qui dominium alienat, ſed etiam qui manumittit, qui dat in uſumfructum, qui dat hypothecæ vel pignori, qui ſervitutem imponit, qui dat in emphyteuſim. 14 Vide Rip. *ad l. filiusfam.* §. *divi. ff. de leg.* 1. Tiraq. *poſt leges connub. in gl.* 5. Jaſon. *ad l. ita ſtipulatus. col.* 10. *in fin. n.* 17. *ff. de V. O.* Fab. de Monte *in tractat. de empt. & vendit.* 22. *q.* 4. *p.* 2. *n.* 11. Mod. 15 Manumiſſio eſt alienatio. *l.* 9. §. 1. *ff. de autor. tutor.* 16 Argumentum obſerva: Qui non poteſt alienare, idem nec pignori dare poteſt. Et tamen, qui emere prohibetur, pignori accipere non prohibetur. *l.* 24. *ff. de pignoribus.* Goth. Hypothecæ conſtitutio, & pignoris datio alienationis appellatione continentur. *hic.* Facit quod jus in re alteri conſtituatur. *l.* 1. *ff. de pign. act. l.* 17. §. 1. *D. de pactis. l.* 1. *l.* 18. *ff. de pignor. & hypothec.* vide etiam *l.* 28. *D. de V. Sign. l. ex hac.* §. 2. *ff. de alienat. jud. mutand. cauſ. fact. l.* 1. 2. 3. *ff. de religioſ. l.* 67. *ff. de V. Sign.* Anſ. 17 Fit enim ſervitutis conſtitutione deterior fundus. 18 Sed nec in feudum dare. vid. Cujac. 2. *Feud. tit.* 4.

19 De communi, *Hal.* Communes ſunt res, quas cum cohæredibus, ſociis, fratribus & ſimilibus communes habemus: in quibus cohæres, ſocius, frater vel ſimilis partem aliquam habet. 20 Socius rem communem, totam prorſus, non recte vendit. Itaque ſocius alter, ſi emptor, necdum dominus factus ſit uſucapione vel præſcriptione, in rem agere poterit. *Synopſis Baſilic.* 19. *tit.* 4. *cap.* 73. 21 Vendens rem communem non præjudicat ſocio, quin partem ſuam poſſit vindicare, niſi ſi res ſit uſucapta vel præſcripta: tunc enim poteſt contra ſocium agere ad pretium. *Salicet.* adde quæ notavi ad *l. ult. ff. pro dote.* 22 Id eſt, uſucapio vel præſcriptio. 23 Fiſcus ſi rem communem vendiderit, emptorem in ſolidum dominum facit, quamvis enim prorſus rem alienam vendiderit, (ut ex Inſtitutionibus diſci poteſt, §. *ult. Inſt. de uſucap.*) dominum facit emptorem: tenetur tamen ei qui jus dominii, vel hypothecæ in illa re habere ſe dicit, & quidem intra quadriennium. Quod autem alienæ rei pretium ad fiſcum pervenerit, id venditionem firmam ratamque facit. Tunc enim hoc privilegium fiſcus habet, quum ſpeciali privilegio rem ipſemet vendidit. *Synopſ. Baſil. ibid. c.* 74. 24 Ut a privato res aliena ſolida vendi non poteſt, ita nec pars ejus, id eſt, communis. Poteſt tamen fiſcus ſingulari privilegio rem communem vendere, eo ſcilicet effectu, ut qui ab eo rem communem emerit, ſtatim ſecurus fiat. vide *l. unic.* J. *de vendit. rer. fiſcal. lib.* 10. *tit.* 4. 25 Privati ſcil. 26 Fiſcus rem communem poteſt vendere, privatus non poteſt. Quid ſi privatus vendiderit, & pretium fiſco per emptorem ſolverit. Idemne hic erit dicendum in fiſco pretium rei communis percipiente, quod ſuperius dictum eſt de fiſco rem communem alienante, ejuſque pretium accipiente? non idem eſt. 27 Indiviſa res non tantum ſociis, ſed & extraneo vendi poteſt. vide *l.* 12. J. *de donat. l.* 1. *ſupr. comm. divid.* poteſt & in feudum dari. 2. *Feudor.* 58. §. 2. donari. *d. l.* 12. legari. *l.* 5. §. 1. *ff. de legat.* 1. obligari. *l.* 1. *ſupr. h. t.* merito. Nam quod mihi cum alio commune eſt, quaſi meum eſt. *l.* 46. *ff. de ritu nupt. l.* 5. §. 1. *ff. de legat.* 1. 28 Socius partem ſocii alienare non poteſt: multo minus & ſocii militis partem alienare poterit: ut hæc in milites fieri non poſſunt, ita miles ſocii partem alienatam, pretio quantumvis oblato, retrahere non poteſt. Vel ita? Socius communem rem totam ſi alienaverit, ſocius alter partem ſuam tantum recte vindicabit: at non eam quæ venditoris fuit: etiamſi ſocius miles ſit, & partem ſocii venditam retrahere velit. *Synopſ. h. t. cap.* 76. 29 Prædia ut propria atque tua, quæ communia erant, ignoranti vendidiſti, pars emptori evicta eſt: teneris emptori pro parte, in quod intereſt. 30 Aliud ſi ſciens rem communem emit. vide *l.* 27. J. *de evictionibus.* 31 De evictione, & ita evictionis nomine agitur, licet evictio non ſit promiſſa. vide *l.* 6. J. *de evictionibus.*

32 Seu onere. *l.* 67. *ff. de contrah. empt.* 33 Et de his etiam teſtari. *l.* 17. J. *de adminiſtr. tutor.* 34 Argumentum a venditione permiſſa, ad pignoris conſtitutionem obſerva. Qui poteſt alienare, poteſt pignorare. *l.* 18. *in fin. ff. de pignoratitia. l.* 9. §. 1. *ff. de pignor. & hypoth.* Valetne argumentum a contrario ſenſu, Non poteſt alienare, ergo nec pignorare? non valet. Conditio emphyteuſeos vendi non poteſt, domino non denunciante. *l. ult.* J. *de jure emphyteut.* pignorari tamen poteſt. *l.* 16. *in fin. ff. de pignorat.* vide Cujac. 5. *Feudor. cap. Imperialem.* 35 Argumentum a privato ad fiſcum, ut quod inter privatos jure liceat, id cum fiſco facere ſit permiſſum.

36 Adde *L.* 18. *D.* 2. *de in diem addictione*, (quo pertinet *l.* 7. J. *h. t.*) & *tit.* 3. *de lege commiſſoria.* quo pertinet *l.* 1. *l.* 3. J. *h. t. n.* 1. Anſ. 37 Vide Leonin. *emendat. lib.* 4. *c.* 16. 38 Pactum obſerva, Ut emptor arrhas amittat, ſi pretium intra certum tempus non ſolverit. *l.* 8. *ff. de leg. commiſſor.* 39 Hanc quoque legem repetit Cagnolus. cæterum vide & Coraſium *miſcell. lib.* 3. *c.* 9. Covarruviam *var. reſol. lib.* 1. *c.* 9. & *c.* 15. Rainaldum Corſum *lib.* 2. *indagat. c.* 10. Zoannettum *rerum quotid. c.* 45. Tiraq. *de utroque retractu tit.* 2. Jaſon. *ad l. nemo poteſt. n.* 12. *de leg.* 1. Angel. *conſ.* 199. Crav. *conſ.* 156. rurſus Jaſon. *ad l. ſi ita quis promiſerat.* §. *Seja. n.* 10. *ff. de verb. oblig.* Fab. de Monte *in tract. de empt. & vend. in* 7. *quæſt. princ. n.* 1. Socin. *ad l.* 1. §. *ſed quoties. ad SC. Trebell.* Aret. *ad* §. *præterea. n.* 24. *Inſtit. de Except.* Mod. 40 Paciſci poſſumus, ut res nobis retrovendantur: ſeu ut eodem pretio nobis tranſcribantur. *l.* 12. *ff. de præſcript. verb.* Goth. Vide Donell. *de præſcript. verb. cap.* 2. *n.* 2. Zanger. *de Except. part.* 2. *c.* 2. *num.* 114. Anſ. 41 Retrovenditionis pactum ad heredes extendi poteſt. 42 Indefinita vox ſatis oſtendit, pactum de retrovendendo certo tempore non circumſcribi. 43 *Dict. l.* 12. vide ad hunc locum Forcatulum *Dialog. Necyomant.* 44 Duas actiones dari obſerva ex hoc pacto in continenti appoſito. *l.* 6. J. *de rerum permutat. l.* 9. J. *de donat.* 45 In quod intereſt.

De lege commiſſoria.

3. Idem A. Felici militi.

QUi ea lege prædium vendidit [1], *Ut niſi reliquum* [2] *pretium intra certum tempus reſtitutum eſſet, ad ſe reverteretur:* ſi non precariam [3] poſſeſſionem tradidit, rei vindicationem non habet, ſed actionem ex vendito.

Qui elegit viam contractus, non poteſt reaſſumere viam pœnitentiæ & diſtractus. Bald.

4. Idem A. Juliano.

COmmiſſoriæ venditionis legem exercere non poteſt [4], qui [5] poſt præſtitutum pretii ſolvendi diem, non vendicationem rei eligere, ſed uſurarum pretii petitionem ſequi maluit.

De uſuris.

5. Imp. GORDIANUS A. Longino.

INitio [6] venditionis ſi pactus es, *Ut is, cui vendidiſti poſſeſſionem, pretii tardius exoluti [tibi] uſuras penſitaret:* non immerito exiſtimas etiam eas tibi, adito Præſide [provinciæ], ab emptore præſtari debere. Nam ſi initio [7] contractus non es pactus, ſi cœperis experiri, deberi ex mora duntaxat [8] uſuras, tam ab ipſo debitore, quam ab eo [9], qui in omnem cauſam empti ſuam fidem adſtrinxit, de jure poſtulabis.

Si pactum non ſervetur.

6. Imppp. CARUS, CARINUS & NUMERIANUS AAA. Rimulo.

CUm te fundum tuum certæ [10] rei contemplatione inter vos habita, exiguo pretio in alium tranſtuliſſe commemores, poterit tibi ea res non eſſe fraudi: quando non impleta [11] promiſſi fide, dominii tui jus in ſuam cauſam reverti [12] conveniat. Et ideo aditus competens judex, fundum cujus mentionem facis, reſtitui tibi cum [13] fructibus ſuis, ſine ulla ludificatione, ſua auctoritate perficiet: præcipue cum & adverſa pars receptis [14] nummis ſuis, nullam paſſa videri poſſit injuriam.

De pacto, Ut intra certum tempus reſtituto pretio ſit res inempta.

7. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Muſæo.

SI a te comparavit is, cujus meminiſti, & convenit, *Ut ſi* [15] *intra certum tempus ſoluta fuerit data quantitas, ſit res inempta*, remitti [16] hanc conventionem reſcripto noſtro non jure petis. Sed ſi ſe ſubtrahat [17], ut jure dominii eandem rem retineat: denunciationis [18] & obſignationis depoſitionisque remedio contra fraudem potes juri tuo conſulere.

De conventione ſervanda: de poſteriore pacto.

8. Iidem AA. & CC. Auxanoni.

TEmpore contractus inter emptorem & venditorem habitam conventionem, integram ſervari, ſi ab ea poſteriore [19] pacto non recedatur; certum eſt [20].

De pacto, Ne liceat novo domino rem humano juri eximere.

9. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

SI quis ita paciſcatur in venditionis, vel alienationis contractu, *Ut* [21] *novo domino nullo modo liceat in loco vendito, vel alio modo ſibi conceſſo, monumentum extruere, vel alio modo humano juri eum eximere:* Sancimus, licet hoc apud veteres [22] dubitabatur [23], tale pactum ex noſtra lege eſſe fovendum, & immutilatum permanere. Forſitan enim multum ejus intererat, ne ei vicinus [24], non ſolum quem nollet, aggregaretur, ſed [etiam] pro quo ſpecialiter interdictum eſt. Cum etenim venditor, vel alter alienator non alia lege jus ſuum transferre paſſus eſt, niſi tali fretus conventione: quomodo ferendum eſt, aliquam captionem ex varia pati eum interpretatione?

TIT. LV.
SI SERVUS EXPORTANDUS [25] VENEAT.

De manus injectione.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Petroniæ.

LEge venditionis exportata mancipia *ſub denunciatione* [26] *manus injiciendæ*, libertatem ab emptore [27], vel qui ſucceſſit in locum ejus, antequam fides rumpatur, accipere poſſunt. Quæ tamen a fiſco [28] poſt manumiſſionem vindicantur, & in perpetuum ſervitutem eadem lege veniunt, cum in his civitatibus converſantur, quæ contrahentes exceperunt: Ante manumiſſionem vero injiciendæ manus facultas non denegatur, atque ideo non petuntur in publicum.

Pœna conventionalis debet quis eſſe contentus: nam legalis applicatur fiſco. Bald.

2. Idem AA. Nedieno.

SI, *ut* [29] *manus injectionem haberes*, caviſti tibi: jure tuo uti potes. Quod ſi hoc omiſiſti, & pœnam ſtipulatus es: homo quidem fiſco commiſſus eſt, tu vero nactus es ex ſtipulatu actionem. In omnibus tamen quæritur, an [30] domini voluntate in locum prohibitum venerit.

De manumiſſione.

3. Imp. ALEXAND. A. Nonio.

ANcilla, quæ exportanda venit, nec exportata eſt, ſed ab emptore in eadem civitate manente empta, & manumiſſa eſt; adverſus [31] legem venditionis libera fieri non potuit: & ideo aditus te Procurator meus partibus ſuis fungetur.

Si quis a ſervis ſuis ſe venditum fuiſſe dicat.

4. Idem A. Papiæ.

MOveor, quod te a [32] ſervis tuis dominum eorum veniiſſe affirmas, ſub ea lege, *Ne in patria moreris*, & ab eo, cui te emptor prior vendiderat, manumiſſum eſſe dicis: Quare competens Judex adverſus eum quem præſentem eſſe dicis, cognitionem ſuam præbebit: & ſi veritas accuſationis aderit, execrabile [33] delictum in exemplum capitali pœna vindicabit. Sed quoad uſque [34] probaveris, quæ intendis, ſtatus tuus eſſe [is] videtur, qui in te poſt manumiſſionem deprehenditur.

De pacti interpretatione.

5. Idem A. Seraphiano.

QUi exportandus a domino de civitate ſua venit, nec [35] in urbe Roma morari debet. Qui autem de provincia certa, nec [36] in Italia. Si itaque contra legem conſtitutam factum probare potes, utere jure quod propterea tibi competit.

TIT. LVI.
SI MANCIPIUM ITA VENIERIT, NE [37] PROSTITUATUR.

Vendita ne proſtituatur, ſi contra ſit, redit ad venditorem, niſi conſenſerit eam proſtitui. Bald.

1. Imp. ALEXANDER A. Socrati.

PRæfectus urbi [38] amicus noſter, eam quæ ita venit, *Ut, ſi proſtituta fuiſſet, abducendi* [39] *poteſtas eſſet*, ei cui ſecundum conſtitutionem divi Hadriani id competit, abducendi impertiet facultatem. Quod ſi [40] eum patientiam [41] accommodaſſe contra legem quam ipſe dixerat, ut in turpi quæſtu mulier haberetur, animadverterit: libertate competere ſecundum interpretationem ejusdem Principis, perduci eam ad Prætorem, cujus de liberali cauſa juriſdictio eſt, ut [ibi] lis ordinetur, jubebit. Nec enim tenor legis quam ſemel comprehendit, intermittitur, quod dominium poſt [42] plures emptorum [43] perſonas ad primum, qui proſtituit, ſine lege ſimili pervenit.

2. Idem A. Severo P.P.

MUlierem, quam ita veniiſſe allegas, *Ne proſtitueretur, aut ſi proſtituta fuerit, libera eſſet:* per officium [44] militare exhiberi apud Tribunal oportet: ut ſi controverſia referatur [de] pacto, (quod tamen ſi verum eſt, libertas mulieri exiſtente conditione competit) quæratur cauſa apud eum cujus de ea re notio eſt. Hæc autem lex [45] niſi tabulis venditionis inſerta ſit, quamvis [46] epiſtola, vel [47] ſine ſcriptis facta oſtenditur, valet.

3. Idem A. Aurelio.

EAm quæ ita venit, *Ne corpore quæſtum faceret:* nec [48] in caupona ſub ſpecie miniſtrandi proſtitui, ne fraus legi dictæ fiat, oportere.

1 Et tradidit ſcil. 2 Pactum valet ut res ad venditorem revertatur, ſi reſiduum pretium non ſolvatur. *Bald.* 3 Fundum tibi vendidi, & tradidi ea lege, ut eum precario a me poſſideres, quoad certa die ſolviſſes reſiduum pretii. Reſiduum non eſt ſolutum? rem poſſum vindicare, quia precario a me poſſediſti. *l.* 15. §. 4. *D. de precar.* Quid ſi precarii clauſula non fuit adjecta? mihi competet actio ex vendito. J. *h. t.* vide Cuj. 16. *obſ.* 29. 4 Adi Cravettam *conſ.* 151. *n.* 8. Paul. de Caſtro *ad l.* 1. *D. de donat.* Alexan. *conſ.* 10. *vol.* 1. Curtium *conſ.* 12. Salycet. *ad l. ea lege. de condict. ob cauſ.* Angel. *conſ.* 199. Socin. *conſ.* 253. Bart. *ad l. in diem. D. de aqua pluv. arc.* Petr. de Anchor. *conſ.* 332. Mod. 5 Qui rei pretium, & pretii uſuras maluit ſequi, pacto legis commiſſoriæ uti non poteſt. *l.* 6. *in fin. l.* 7. *D. de leg. commiſſor. l.* 38. *verſ. Dicebam. D. de minorib.* 25. *ann.* 6 Vide *l.* 13. S. *de pact.* 7 Uſuræ in continenti contractus alicujus, non fœnebris. *l.* 1. *ſupr. de uſur.* promiſſæ, debentur ex natura ejusdem contractus. *l.* 13. S. *de pactis. l.* 26. §. 1. *D. depoſiti.* Poſt contractum promiſſæ non ex pacto, ſed officio judicis debentur. 8 Cum nec fructus perceperit. *l.* 16. *in fin. D. de uſur.* 9 Id eſt, quam a fidejuſſore. *l.* 24. §. 1. *D. de uſuris. l.* 18. S. *mandati.* 10 Si ſubſtantiale pactum contractus non ſervatur, contractus reſcinditur. Subſtantiale autem eſt, quod cauſam dedit contractui. *Bald.* 11 Vide Roland. a Valle 1. *conſ.* 59. *num.* 7. 12 Imo non revertitur. *l.* 14. S. *de reſcind. vendit.* 13 *l.* 8. *in fin. princ. D. de pericul. & commod.* 14 Emptor receptis nummis ſuis nullam patitur injuriam a venditore. 15 Poteſt res ita vendi, ut refuſo pretio intra certum tempus res venditori reſtituatur. *l.* 2. S. *h. t. l.* 1. J. *quando decreto opus non eſt.* Hujusmodi pactum Galli vocant, *Pact de remeré, ou Faculté de reachapt.* 16 Id eſt, prorogari. Pactum redimendi, (de quo *l.* 2. S. *h. t.*) intra certum tempus venditori competit: neque Principis reſcripto prorogari poteſt. 17 Emptor ſcil. 18 Venditor cui pactum redimendi intra certum tempus competit, emptori fugienti denunciando jus redimendi, obſignando & deponendo pretium, rem recuperat. *l.* 2. *in fin.* J. *de jure emphyt.* 19 Pactum pacto contrario tollitur. vide *l.* 3. S. *de reſcind. vendit.* 20 Ratio dubitandi ſumitur ex *l.* 48. *D. de pact.* 21 Nota genus pacti. 22 Pomponium intelligit autorem *l.* 61. *D. de pact.* 23 Ea dubitatio hic ſublata, & abrogatur *l. pen. D. de pact.* 24 Vide que de vicino dixi ad *Novellam* 63. *cap.* 1.

25 Dixi ad titul. *de ſervis exportandis*, L. 18. *D.* 7. Solent plerumque domini ita vendere mancipia, vel quod ipſi venditores eadem lege ſervos emerint. *l.* 7. *D. h. t.* vel ſervorum odio, quorum conſpectum ferre non poſſunt. Exportandus venit, qui ita venit ut ex loco venditionis amoveatur. Ea lege vendere Græcis eſt ἐπ᾽ ἐξαγωγῇ. Demoſthen. *in Timocratem:* Ælianus *in epiſt.* Dion. 54. id eſt, ἔξω τῆς πόλεως. Ulpian. Sic pœnæ cauſa ſervi ex urbe in villam ablegantur a dominis. *l.* 35. §. 3. *ff. de hered. inſtit.* adde *l.* 4. §. 9. *ff. de manumiſſ.* 26 Nota pactum, de quo *in l.* 2. *in princ.* J. *h. t.* 27 Emptor ſervum exportandum manumittere poteſt. Manumiſſus ſervus, ſi in locum emptionis reducitur, libertatem amittit, & fiſco cedit. 28 Omne delictum fiſcum habet ultorem. *Bald.* 29 Manus injectionem paciſci poſſumus, hoc eſt, ut ni pareatur legi contractus, rei a nobis venditæ manum injicere liceat. *l.* 1. *in princ. & in fin.* S. *h. t. l.* 9. *ff. h. t. l.* 1. J. *tit. prox. l.* 20. §. 2. *ff. de manumiſſ. l.* 7. *ff. qui ſine manumiſſ. l.* 10. §. 1. *ff. de in jus vocand.* 30 *l.* 1. *ff. h. t. l.* 16. §. 4. *ff. de public. & vectig.* 31 Contra pactum ancilla non poteſt manumitti. 32 Servi, qui dominum ſuum vendiderunt, capite plecti jubentur, *ut hic. Synopſis Baſil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 19. *tit.* 7. *c.* 14. 33 Execrabile delictum eſt, ſi dominus a ſervis ſuis venditus fuerit, & proinde qui id fecerint, capite plecti jubentur. 7. *Ecl.* 6. *ex lib.* 19. *tit.* 7. (*etiam* 17.) *cap.* 4. 34 Nemo præſumitur a ſuis venditus, niſi venditionem probaverit: non præſumitur atrox delictum niſi probetur. *l.* 51. *ff. pro ſocio.* 35 *l.* 5. *ff. h. t.* 36 Quæ ratio urbis Romæ ad cæteras: ea Italiæ eſt ad reliquas provincias. Interdicta civitate, interdicitur Roma: Interdicta certa provincia, interdicta quoque Italia cenſetur.

37 *l.* 1. §. 8. *ff. de off. præf. urb. l.* 10. §. 1. *ff. de in jus vocand. l.* 7. *ff. de jure patron. l.* 6. *in fin. ff. qui ſine manumiſſ. l.* 1. §. *ſimilique modo.* 4. J. *de Latina libertate. l. ſi quis.* 56. *ff. de contr. empt. l. ſi venditor.* 6. *ff. de ſervis export.* 38 *d.* §. 8. 39 *l.* 2. *ſupr. tit. prox.* 40 Nemo poteſt remittere pactum, ubi remiſſio pacti continet delictum. *l.* 10. §. 1. *ff. de in jus vocand.* 41 Patientia ſola plerumque delinquitur. Tenetur enim, qui ancillam proſtitutioni eximere potuit, nec exemit. *l.* 7. *ff. qui ſine manumiſſ.* 42 Per quascunque manus res ambulat, ſuam tamen conditionem ſervat. vid. *l.* 15. *ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 25. §. *ſi operas. D. de uſufr. l.* 25. §. *perinde.* 8. *D. de hered. pet.* 43 *l.* 7. *D. de jure patron.* 44 Judicis officium eſt, inquirere in delicta, etiamſi nullus ſit accuſator. 45 Id eſt, etiamſi non tabulis &c. unde colligunt, hanc pactionem valere interpoſitam ex intervallo. 46 Quamvis ſine epiſtola *Accurſ.* 47 Quamvis epiſtola non ſine ſcriptis. ita videtur legendum ex interpretatione Azonis. 48 *l.* 4. §. 2. *D. de his, qui notantur.* Probibitum una via, altera non debet admitti. *l.* 21. §. 1. *D. de tutorib. & curat. datis. l.* 8. §. 5. *D. de cond. inſtit.*

TIT. LVII.
SI MANCIPIUM ITA FUERIT ALIENATUM, UT [1] MANUMITTATUR, VEL [2] CONTRA [3].

De pacto, Ut manumittatur.

1. Imp. ALEXAND. A. Patricenſi.

SI Patroclus poſteaquam te Hermiæ donationis [4] cauſa dedit lege dicta, *Ut ſi quindecim annis continuis ſerviſſes, ad libertatem perducereris, ita ut civis Romanus eſſes tempore peracto:* ſi modo Patroclus non [5] contrariæ voluntatis fuerit, aut [etiamſi] ſi jam deceſſerat, ad libertatem perveniſti: quoniam placuit non ſolum ad venditos, ſed etiam [6] ad donatos eam legem, ut manumitterentur, pertinere. Nec [7] te potuit, ſemel tranſlato dominio in Hermiam, poſtea alii Patroclus vendere: & ideo non de præſtanda tibi libertate, quam ex conſtitutione jam fueras adeptus, litigare debuiſti: ſed libertatem quam obtinueras, defendere.

2. Idem A. Eutychiano liberto.

SI ea lege Creſtes ſervum ſuum, ſed naturalem [8] filium venumdedit, *Ut emptor eum manumitteret*, quamvis [9] non eſt manumiſſus, ex Conſtitutione [10] divorum Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum, liber eſt.

De manumiſſione inutili.

3. Idem A. Fulginio.

SI Juſta Saturnino puellam nomine Firmam, agentem tunc annos ſeptem, hac lege vendiderit, *Ut, cum haberet annos vigintiquinque, libera eſſet:* quamvis factum ab emptore præſtandæ libertatis pacto non ſit inſertum; ſed ut libera eſſet, expreſſum: tamen conſtitutioni [11] Divorum Marci & Commodi in ſemeſtribus [ſcriptæ] locus eſt: ideoque impleto viceſimoquinto anno Firma libera facta eſt: Nec obeſt ei, quod viceſimoſeptimo anno manumiſſa eſt, quæ jam ex conſtitutione libera erat. Et is quem poſt [12] viceſimumquintum annum ex te conceptum enixa eſt, ingenuus eſt.

De mora.

4. Imp. GORDIANUS A. Jocundæ.

SI is qui pretium pro [13] te acceperat, *Ut ſtatuto tempore [te] libertate donaret*, moram repromiſſæ libertati præſtitit: ex [eo] tempore [te] liberam [14] eſſe effectam manifeſtum eſt, ex quo, cum [15] poſſet dari libertas, non eſt præſtita: & ideo ex te natos, ingenuos videri procreatos, non incertæ opinionis eſt.

De pacto, Ne ad libertatem perducatur.

5. Idem A. Martino.

EA quidem mancipia quorum venditio eam legem accepit, *Ne* [16] *ad libertatem perducantur*, etiamſi manumittantur, nanciſci libertatem non poſſunt. Neque enim conditio quæ perſonæ ejus cohæſit, immutari [17] facto ejus qui ea lege comparavit, poteſt. Nec tamen pœnæ exactio, ſi qua addita eſt conditioni non ſervatæ, juſtam exigendi tribuit cauſam. Qua igitur ratione te poterit revocare ad officium Procuratoris [18], qui eam legem venditioni dedit, perſpici non poteſt: cum nec [19] in privatorum contractibus fiſcus ſe interponere debeat, & literæ ad te miſſæ, perſonæ factum, (ſi non ipſe manumiſeris,) non contineant.

De pacto manumittendi non ſervato.

6. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Rufinæ.

SI puellam ea lege vendidiſti, *Ut* [20] *manumitteretur: & ſi manumiſſa non eſſet, centum* [21] *aurei* [22] *præſtarentur:* non [23] ſervata fide, nihilominus eam raptam ex [24] veſtigio ſervitutis ad libertatem, quæ præſtari potuit, conſtitit: nec pecunia quaſi rupta fide ſuſcepta, recte petetur: cum, non [25] mutata venditoris voluntate, conditionis poteſtatem [26], poſt manumittentis factum [27] repræſentari, optima ratione placuit.

TIT. LVIII.
DE ÆDILITIIS [28] ACTIONIBUS.

1. Imp. ANTONINUS A. Decenſio.

SI [29] non ſimpliciter, ſed conſilio fraudis ſervum tibi neſcienti fugitivum [30], vel alio modo vitioſum quis vendidit, isque [idem] fugitivus abeſt, non ſolum in pretium ſervi venditorem conveniri, ſed etiam damnum [31] quod per eum tibi accidit, competens judex (ut jampridem placuit) præſtari jubebit.

2. Imp. GORDIANUS A. Penthilio.

CUm [32] proponas ſervum quem pridem comparaſti, poſt anni tempus fugiſſe: qua ratione eo nomine cum venditore ejusdem congredi quæras, non poſſum animadvertere. Etenim redhibitoriam [33] actionem ſex [34] menſium temporibus, vel quanto minoris, anno concludi, manifeſti juris eſt.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Mutiano.

SI [35] apud priorem dominum fugiſſe mancipium non doceatur: fuga poſt [36] venditionem [interveniens] ad damnum emptoris pertinet. Sin autem venditor *non vitioſum* [37] *etiam in poſterum fieri ſervum* temere [38] promiſerit: quamvis hoc impoſſibile [39] eſſe videatur, tamen ſecundum fidem antecedentis [40], vel in continenti ſecuti pacti experiri poſſe non ambigitur. Poſteriores [41] enim caſus non venditoris, ſed emptoris periculum expectant. Verum cum ſervum, quem comparaveras, ad eum [42] qui diſtraxerat, rediiſſe contendis, competens judex perſpectis omnibus, pro repertæ rei qualitate proferre curabit ſententiam.

4. Iidem AA. Falſo.

SI prædium quis ſub ea lege comparavit, *Ut* [43], *ſi diſplicuerit, inemptum ſit*, id, utpote ſub conditione venditum, reſolvi, & redhibitoriam actionem adverſus venditorem competere, palam eſt. † Idem obſervatur, & ſi peſtibilis [44] fundus (id eſt, peſtibiles [45] herbas [46], vel letiferas habens) ignorante emptore diſtractus ſit: nam & in hoc [etiam] caſu per eandem actionem, eum quoque redhibendum eſſe [conſtat.]

In redhibitoria actione debet probare emptor ſervum fugitivum eſſe. Salic.

5. Imppp. GRATIAN. VALENTIN. & THEOD. AAA. Nebridio P. V.

HAbito [47] ſemel bonæ [48] fidei contractu, mancipioque ſuſcepto, & pretio ſoluto, ita demum repetendi pretii poteſtas eſt ei, qui mancipium comparavit, largienda; ſi [49] illud quod dixerit fugitivum, poterit exhibere. Hoc enim non ſolum in Barbaris, ſed etiam [in] provincialibus ſervis jure præſcriptum eſt. Dat. 3. Kal. Jul. CP. HONOR. & EVODIO V. C. CONSS. 388. ſive 386.

TIT. LIX.
DE [50] MONOPOLIIS [51] ET CONVENTU [52] NEGOTIATORUM ILLICITO, VEL [53] ARTIFICIO [54] ERGOLABORUM [55], NECNON BALNEATORUM, PROHIBITIS, ET PACTIONIBUS ILLICITIS.

1. Imp. ZENO A. Conſtantino P. P.

JUbemus [56], ne quis cujuscunque veſtis, vel piſcis, vel pectinum [57] forte, aut echini [58], vel cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcumque uſum pertinentis ſpeciei, vel cujuslibet materiæ, pro ſua autoritate, vel ſacro jam elicito, aut in poſterum eliciendo reſcripto [59], aut pragmatica ſanctione, vel ſacra noſtræ pietatis adnotatione, monopolium audeat exercere: neve quis illicitis habitis conventionibus [60] conjuret, aut paciſcatur, *Ut* [61] *ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris quam inter ſe ſtatuerint venundentur.* † Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi [62], aliorumque diverſorum operum [63] profeſſores & balneatores penitus arceantur pacta inter ſe componere, *Ut ne* [64] *quis, quod alteri commiſſum ſit,*

1 *l.* 3. *ff. de ſervis export.* adde 19. *Eclog.* 17. & Cujac. 1. *obſ.* 29. 2 Suetonius *in Auguſto c.* 21. Barbaros crebrius, aut perfidioſius rebellantes non graviore unquam multatus eſt pœna, quam ut captivos ſub lege venundaret, ne in vicina regione ſervirent, neve intra trigeſimum annum liberarentur. 3 *l.* 5. *infr. h. t.* 4 Cujac. *d. loco. l.* 8. *ff. qui ſine manumiſſ.* 5 Vide *l.* 6. *in fin.* J. *h. t. & d. l.* 8. 6 Vide Cujac. *d. loco.* Et ita conſtitutio favore libertatis diſponens in venditione, trahitur ex interpretatione ad donationem. 7 *l.* 56. *ff. de contrah. empt.* 8 Vide quæ ſcripſi ad *Novell.* 78. *c.* 4. *ad l.* 5. *ff. de præſcr. verb.* 9 Quod non fit per hominem, lex interdum pro facto habet. *l. ult.* J. *h. t. l.* 10. *ff. de in jus vocand. l.* 3. §. 2. *ff. de legit. tutor. l.* 84. §. 1. *ff. de hered. inſtit. l.* 8. *in fin. ff. de jure patronatus. l.* 3. *ff. qui ſine manumiſſ.* 10 Cujus meminit *l.* 3. J. *l.* 7. §. 8. *ff. de donat. int. vir. l.* 3. *ff. qui ſine manumiſſ.* 11 De qua vide *l.* 2. S. 12 Quod ex ea quæ poſt annum viceſimum quintum manumitti debet, naſcitur, ingenuum eſt: adde quædam ex Cujac. 10. *obſerv.* 21. *in fine.* 13 Vide *l.* 38. *ff. de liberali cauſ.* vide Cujac. *d. loco.* 14 Qui poſt tempus libertatis matri neceſſario conferendæ naſcitur, liber eſt. 15 Id quando committatur, vide *l. ult. ff. qui ſine manumiſſ.* 16 *l.* 7. J. *de teſtament. manumiſſ. l.* 44. §. 7. *ff. de legat.* 1. *l.* 9. §. 2. *ff. qui & a quibus manumiſſ.* Theoph. §. 1. *Inſt. de his, qui ſunt ſui.* adde *l. ult. ſupr. de rebus alien. non alien.* 17 Emptor legem rei venditæ impoſitam mutare non poteſt. 18 Fiſci ſcil. 19 Procurator fiſci cognoſcit de cauſis inter fiſcum & privatum. 20 Ἐπὶ ἐλευθερωθῆναι ἐμπροθέσμως, ut ad conſtitutum diem manumitteretur. *Synopſ.* 19. *tit.* 17. *cap.* 21. 21 *l.* 20. §. 2. *ff. de manumiſſ.* 22 Πρόστιμον, pœnam. *Synopſ. ibid.* 23 Si quis puellam vendiderit, ut ad conſtitutum diem manumitteretur, & ſi manumiſſa non eſſet, pœnam ſtipulatus fuerit, die cedente puella quidem manumittetur, pœna vero peti nequit: cum pacti vis præſtandam a venditore manumiſſionem importat. *Synopſis d. loco.* 24 Eveſtigio. 25 *l.* 3. *ff. de ſerv. export.* 26 Poteſtate manumittentis &c. Cujac. 16. *obſerv.* 24. 27 Lex interdum repræſentat quod ab actore fieri debet. dixi ad *l.* 2. S. *h. t.* adde quæ dixi ad *Nov.* 1. *c.* 1.

28 3. *C. Theod.* 4. dixi ad *L.* 21. *ff.* 1. adde Cujac. 9. *obſerv.* 3. *ubi de ædilitiis actionibus.* 29 Si quis ſervum fugitivum prius vendiderit, tam in pretium quam in damnum extrinſecus accidens convenitur: ut ſi mancipium aliud ſollicitavit, aut re quadam ſubrepta aufugit. *Synopſ. Baſil.* 19. *tit.* 10. *c.* 52. 30 *l.* 13. §. 1. *ff. de act. empt. l.* 16. §. 2. *ff. de evict.* 31 *l.* 23. §. 1. *ff. de ædil. edict.* 32 *d. l.* 54. *ff. h. t.* 33 Redhibitoria (Græci ἡ ἀναστρέφουσα τὸ πραθὲν ἀγωγή) ſex menſium ſpatio, vel quanti minoris (ἡ μειοῦσα καὶ ἐλαττοῦσα τὸ τίμημα) anno excluditur. *Synopſ. illo loco.* 3. Harm. 3. §. 68. Currunt autem emptori ſex menſes, ex quo rei vitium cognovit, aut cognoſcere debuit. Harmen. *ibid.* §. 69. 34 *l.* 19. *in fin. l.* 55. *ff. h. t.* 35 *l.* 54. *ff. h. t.* Magna in ſervo præſumptio eſt integritatis, ſi apud priorem dominum non fugit. 36 Fuga poſt venditionem interveniens ad emptorem pertinet, niſi venditor nunquam fugitivum fore ſervum repromiſit, *ut hic:* vel niſi ante venditionem fugiſſe probetur. *Synopſis Baſil.* 19. *tit.* 10. *cap.* 54. 37 Servus fugitivus, vitioſus. 38 Temere quod quis promittit, ſuæ temeritati imputare debet. 39 Qui promittit ſervum fugitivum non fore, rem pene impoſſibilem promittere intelligitur. promittit enim factum alienum: hinc ratio dubitandi ſumitur in hac lege ex §. 3. *Inſt. de inut. ſtip.* Ratio decidendi poteſt adferri in eo, Dominum ſc. factum ſervi promittentem, obligari, æque ac ſi proprium factum promiſiſſet. 40 Pacta contractum antecedere, & ſubſequi poſſunt. Vide *l.* 27. *ff. de pactis.* 41 Vide *l.* 1. & *l. ult. ſupr. de pericul. & commod.* 42 Id eſt, ad venditionem. Si ſervus venditus ad venditorem revertitur, reſtituendus eſt. 43 *l.* 31. §. 22. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de contrah. empt.* adde Roland. a Valle 2. *conſ.* 62. *in fin.* Goth. Et ſi ædilitium edictum locum habet in immobilibus. *l.* 1. & *l.* 49. *ff. h. t.* Donell. *h. t. cap.* 2. Anſ. 44 *l.* 49. *ff. h. t.* Cujacius legit, 16. *obſ.* 24. peſtilis fundus. Peſtilis, id eſt, peſtibulas, vel herbas lethiferas habens. Peſtibulæ, natricum ſerpentumque peſtes, ut loquitur Columella: conficto nomine ex peſte, ut nauſtibuli, ex navi, auctore Feſto. Odore ſolo fit peſtilis locus. Vide quæ notavi ad *l.* 2. §. 29. *ff. ne quid in loco publico.* & ita Columell. 18. Serpentis odorem peſtilentem eſſe. Ita peſtilens ager Salapinorum, Cicero 2. *Agraria*, *quem vide.* 45 Peſtibulas. Cujac. *d. loco*, *ut ſupr. h. t.* 46 *l.* 19. §. 1. *ff. locati.* 47 *Lege un. C. Theod. h. t. Synopſ. h. t. cap.* 6. 48 Quid ſi venditio non bona fide facta ſit: & venditor ſciens prudens ſervum fugitivum vendiderit? emptor a venditore pretium quidem recipit: præſtare tamen cautionem duntaxat debet, ut ſi ſervum invenerit, eum reddat. Scholiaſtes *Synopſ. d. c.* 56. *l.* 21. *in fin. ff. de ædil. edict.* 49 Redhibitoria agens emptor, fugitivum exhibere & reſtituere debet.

50 Senſus apud Synopſeos autorem hic eſt: De negotiatoribus, qui annonæ inſidiantur, dum emunt & ſupprimunt merces, aut falſis ponderibus utuntur: & quod non liceat inter ſe paciſci de ſpeciebus, ne minoris vendant, quam inter ſe ſtatuerunt, & ne ſint monopolia. 19. *Eclog.* 18. 51 *Monopolii* verbo utitur, & quidem Græco & deficiente Latino. Ita Suetonius *c.* 71. ſcribit, Tiberium in Senatu abſtinuiſſe ſermone Græco: adeo ut *monopolium* nominaturus, prius veniam poſtularet, quod ſibi verbo peregrino utendum eſſet. Cæterum monopolium eſt, jus vendendæ certæ mercis, quod unus certive homines ſibi vindicant permiſſu Principis, ſub vectigalis onere. *Goth.* vid. Strach. *de mercatura. part.* 4. Jacob. Bornit. *de ærar. redit. lib.* 2. *cap.* 3. Anſ. Adde Cujac. *lib.* 16. *obſ. c.* 23. & *lib.* 10. *obſerv. cap.* 19. S. L. 52 Pars ſecunda tituli de conventibus, id eſt, conventionibus, & pactis negotiatorum illicitis. 53 Pars tertia tituli. 54 Vel artificum ergolaborumque. Cujac. *hic.* artificum ergolaborum. *Hal.* 55 Qui opus conducunt faciendum. 56 *Syn. Baſ.* 19. *tit.* 18. *cap.* 1. 57 Ἡ κτενὶς. *Ecl. d. loco.* Pectinum quibus uniuntur vel deducuntur capilli. Cujac. *hic.* Alii pectinis vocabulo piſcis genus intelligunt, de quo Horat. 2. *ſerm.* 4. *Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum:* quod mihi fit veriſimilius. 58 Ἡ χεῖνς. *Eclog. d. loco.* Cujac. hic videtur legiſſe *herinacei*, quorum cute veſtes poliri notat, & in iis fraudem, & monopolium magnum lucrum inveniſſe, Plinius ſcribit *l.* 8. *c.* 37. 59 Monopolii jus privatus a Principe impetrare non poteſt. 60 Pars ſecunda tituli. 61 Monopolii forma hæc eſt. 62 Ἐργολάβοι, *Synopſ. ibid. c.* περὶ τεχνιτῶν ἢ ἐργολαβούντων. Iidem Græci ἐργολήπτεις. *Pollux:* ἐργολαβοῦντες quibus contrarii ἐκδιδόντες. *Gloſſ.* ἐργολάβος redemptor, *ut ex l.* 39. *ff. de rei vind.* 63 Ἐργοδιδάσκαλοι, *Ecl. d. loco.* 64 *l.* 12. §. 8. *infr. de ædificiis privatis.*